



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VIII. Quando obliget præceptum dandi eleëmosynam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Quando obliget præceptum dandi eleëmofynam?

107

Cum hoc præceptum sit affirmatiuum, clara est ipsius non obligare pro quouis tempore, sed solum in certis circumstantijs, sicut alia omnia præcepta affirmatiua obligant. Secundum communem igitur omnium sententiam requiritur Primò, ex parte obligati dare, ut habeat aliqua quæ dare possit sine periculo vitæ suæ. Certum enim est, neminem obligari ad dandam eleëmofynam, qui aut omnino nihil habet, aut ijs quæ habet extremè indiget, ita ut sine periculo vitæ ijs carere non possit, nisi fortè esset necessarium eum hæc dare ad seruandam vitam alicuius personæ, à qua publica salus penderet: pro huius enim salute sicut pro salute reip. tenemur vitam profundere. Nunquam tamen tenemur vitam profundere, pro salute corporali alicuius priuati: etsi id quandoque laudabiliter possumus facere, ut ostendi disp. 25. dub. 2. nisi fortè particulari aliquo contractu nos ad illud obligauerimus, prout aliquando famuli ad hoc conducti se obligant, ut domini vitam cum certo periculo suæ vitæ defendant. Secundò, requiritur ex parte alterius, ut hic egeat saltem secundum æstimationem eius à quo eleëmofynam petit; nemo enim tenetur, imò nec propriè potest dare eleëmofynam ei, quem scit nullo modo egere, ut patet ex dictis dub. 5.

Ex quibus sequitur, ad hanc obligationem requiri in dante ut habeat aliquo modo superflua, & in accipiente ut patiatur necessitatē. Quæstio igitur est quale requiratur in illo superfluum, & qualis in hoc necessitas.

108

D. Thom.

Que dicantur superflua naturæ

quæ statui sunt superflua.

Pro horum explicatione notant communiter Doctores cum D. Thoma 2. 2. q. 32. a. 6. Primò, aliquem dupliciter posse habere superflua. Primò, respectu naturæ: qua ratione dicuntur ei superflua ea omnia, sine quibus se & suos potest sustentare; sicut dicuntur necessaria naturæ ea, sine quibus se & suos nequit alere. Secundò, respectu personæ siue status: qua ratione dicuntur ei superflua ea omnia, quæ ei non sunt necessaria ut deceret secundum suum statum viuere. Et hæc sola propriè debent dici superflua; nam quæ solum priore modo sunt superflua, cum sint necessaria statui, potius absolutè sunt dicenda necessaria, & solum superflua secundum quid.

109

Notant Secundò, cum eodem suprà, necessaria statui non consistere in indiuisibili, sed pati quandam latitudinem, ut v. g. cui centum annuè sunt necessaria ad statum, & si ei addantur decem aut duodecim, non dicetur statim habere superflua statui; quia etsi dicta omnia quotannis se suisque alendis impendat, non poterit statim dici suum statum in expensis excedere. Sicut etiam contrà diligentius rei familiaris administrationi inuigilando poterit decenter secundum suum statum viuere, etsi ipsi aliqua ex ijs detrahantur.

Idemque proportionaliter dicendum est de

necessarijs naturæ: nec enim ea sola debent dici naturæ necessaria, quibus sic careas breui moriturus sis, sed etiam ea sine quibus non nisi cum grauissimis miserijs, aut euidenti earum periculo vitam possis traducere.

Notant Tertiò, necessaria ad statum spectanda esse non solum ex præfenti hominis conditione: sed etiam ex ijs, quæ ei probabiliter obuentura sunt. Hinc licet aliqua referuare vel addotandas filias, si quis eas habet, aut credit se habiturum; vel ad sustentandam senectutem; vel ad occurrendum necessitati probabiliter obuenturæ ex morbis, bellicis casibus, alijsque similibus; aut ut hereditibus relinquant, unde secundum suum statum viuere possint, &c. Item si quis sit dignus altiore statu, & ad eum probabiliter promouendus, in quo maiores opes ei erunt necessariae, has coaceruando non dicetur habere superflua.

Ex quibus patet difficile esse decernere, quænam huic vel illi præfenti seculari sint superflua aut necessaria statui, ideoque hæc de re latius fuisse aliqui disputant. ut patet apud Lorcam 2. 2. sect. 3. disp. 39. memb. 1. Sed hæc certa regula definiti non possunt, & potius ex omnibus cuiusque personæ circumstantijs, quæ in singulis casibus variari possunt, prudenti iudicio spectanda sunt, & potius alieno, quam ipsius cuius res agitur: quia in rebus similibus proprius amor nos facile decipit, efficiendo ut fingamus nos dignos esse altiore statu, & facile ad eum peruenturos, aut nobis imminere aliquos casus, in quibus pecuniæ nunc superflua sunt futura necessaria, atque ita contra præceptum Domini simus solliciti in crastinum.

Notant Quarto, indigentiam necessitatem esse triplicem, scilicet extremam, grauem, & communem. Extrema laborat is, cui deficiunt necessaria vitæ sustentandæ, ita ut sit in euidenti periculo mortis, aut grauissimæ miserie corporalis, quæ morti comparari possit: qualis est valde grauis & perpetuus morbus, & similia. Alij vocant hanc necessitatem quasi extremam; sed parum facit ad rem, quia ipsi admittunt eandem esse vtriusque in præfenti materia rationem.

Aliqui verò requirunt, ut hæc necessitas proueniat indigenti ab intrinseco, siue ex defectu alicuius rei vitæ sustentandæ necessariae. Vnde aiunt cum non esse in extrema necessitate, qui à latronibus captus occidendus est nisi aliquis pro eo certum lytrum soluat. Sed alij inter hæc non distinguunt: & per se loquendo inter ea non est distinguendum, quia vtraque necessitas est æqualiter extrema, & per se æqualiter ad succurrendum obligat: per accidens tamen hæc quandoque minus obligat, ut dicam n. 143.

Addit Lorca suprà n. 9. eum debere dici esse in extrema necessitate, qui est in certo periculo ita decidendi ex honesto statu, ut non possit vitam sustentare nisi discendo atrem mechanicam, aut mendicando; quia multis hoc ita ignominiosum est, ut malint mori quam ita viuere. Sed hac in re est ferè singularis. Nam alij communiter definiunt extremam necessitatem ex defectu rerum necessariarum naturæ, siue sine quibus

bus hæc sustentari nequit; atque ita secundum eos, supradictò solùm deficiunt necessaria ad statum, cum operando aut mendicando possit habere necessaria naturæ; idque sine vlla miseria, quæ sit miseria ipsius naturæ aut etiam absolutè grauis miseria; nam aliàs quicumque coguntur laborando aut mendicando vitam sustentare, essent in graui miseria. Est igitur dicta miseria solùm miseria respectiua & secundum

D. Thomas.

115
Que necessitas sit grauis.

quid, siue cum respectu ad statum. Vnde D. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. in corpore, dicit hanc necessitatem non esse absolutam, sed solùm conditionaram, siue cum respectu ad conditionem & statum personæ. Argumentum autem Loræ solùm probat, talem miseriam respectu huius personæ & ob statum ipsius esse valde duram ac difficilem, ideoque ipsam hanc ut grauisimum malum apprehendere, ac magna commiseratione esse dignam; præsertim si eam innocenter seu sine vlla sua culpa patiat.

Communis necessitas.

Communem necessitatem laborant communes mendici alijsque pauperes, qui cum notabili difficultate alijsque operarijs extraordinaria, possunt sibi comparare ad vitam necessaria.

116

Notant Quintò, vrego in particulari absolutè teneat alicui in particulari hic & nunc ob eius necessitatem succurrere, debere mihi esse probabile quòd nemo alius sit qui ei hic & nunc possit & velit succurrere, ita ut nisi ego succurram, talis in sua necessitate & miseria sit permanens. Quia si alius ei sit succursurus, mea eleemosyna ei non est determinatè necessaria, cum sine ea eius miseria sit subleuanda; atque ita talis non est in extrema necessitate respectu mei. Ita D. Thomas in 4. d. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. ad 4. & Nauarrus cap. 24. num. 5. cum alijs quos citat. Est tamen signum animi à misericordia alieni, occurrenti grauem necessitatem patienti negare eleemosynam quam facillè dare posses, præcisè quia credis alios ei succursuros.

D. Thomas. Nauarr.

117

Hispotis constat inter Auctores Primò, cum qui habet absolutè superflua etiam statui, teneri sub mortali succurrere illi omni qui est in extrema necessitate respectu ipsius, siue ita ut nisi ipse succurrat, nemo alius id probabiliter sit factururus. Per se patet, quia si vnquam obliget præceptum eleemosynæ, tunc sine dubio maxime obligat, & apertè est inhumanum, ac directè contra illud præceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, tantum malum ab ipso non auertere, cum facillè possis.

Secundò, constat me non teneri proximo in villo casu succurrere, quando id nequeo facere nisi cum æquali meo incommodo, siue expo-

nendo me certo periculo incidendi in idem malum quod ab eo volo auertere. Quia, ut patet ex dictis de ordine caritatis, nunquam teneor amare proximum plusquam meipsum. Excipiendus tamen est casus, quo, nisi proximo succurram, bonum publicum notabiliter periclitabitur; teneor enim hoc præponere priuato.

Est igitur difficultas Primò, an aliquando absolutè teneamur facere eleemosynam extra extremam necessitatem proximi?

118

Secundò, an teneat, ex necessarijs ad statum subuenire laboranti extrema necessitate? Quia in re valde variæ sunt Doctorum sententiæ, & aliqui tam obscurè loquuntur, ut difficile sit videre quid sentiant, ideoque à diuersis pro contrarijs sententijs citantur. & præsertim D. Thomas loco iam citato supra, & 2. 2. q. 32. a. 5. D. Thomas. & 6. & q. 66. a. 7. in cuius sensu eruendo varijs laborant, & à diuersis in sensu omnino contradictorio intelligitur, ut videre est apud Lorcam. 2. 2. sect. 3. disput. 39. n. 11. & seqq. quem si lubet consulas, quia longior necessario essem si hæc vellem exactè explicare.

Lorca.

119

Primò, igitur quidam docent, nos nunquam absolutè obligari dare eleemosynam extra casum extremæ necessitatis proximi. Citantur pro hac sententia Maior in 4. dist. 15. q. 7. Gerlon 2. p. alph. 32. litt. O. Alensis 4. p. qu. penult. membro 1. Rotella v. Eleemosyna. n. 1. Panorm. in c. Si verd. de iurejurando. Medina Cod. de Pœnitentia tractat. 5. q. De necessitate dandi eleemosynam. 8. Quod in controuersia est. Sed alii qui ex illis hoc nõ dicunt, sed potius contrarium. Eidem sententiæ fauet Gabriel in 4. dist. 16. q. 4. a. 2. concl. 4. vbi docet, nos in extrema necessitate eius probabili periculo teneri dare de ijs, de quibus liberè dare possumus. & concl. 5. ait extra tempus necessitatis, solùm esse consiliij dare eleemosynam. vbi solùm agnoscit obligationem dandi eleemosynam in extrema necessitate. Nec refert quòd concl. 2. doceat, extra casum extremæ necessitatis non esse dandam eleemosynam de omnino necessarijs ad status conseruationem, secus autem esse de alijs; quia ibi non agit quando teneamur dare eleemosynam, sed quando eam laudabiliter dare possumus.

Maior.

Gerlon.

Alensis.

Rotella.

Panorm.

Medina.

Gabriel.

Probatur Primò, quia, cum non laboras extrema necessitate possit sine mea eleemosyna viuere, hæc ei non est necessaria ut absolutè sit, siue ut viuat; sed solùm ut ei melius sit; atqui caritas non obligat me, saltem grauitè, ut procurem ut alter melius habeat; ergo nec me obligat ut tali dem eleemosynam.

Secundò, quia talis non tenetur seipsum ea miseria liberare, etsi facillè possit, sed potest eam velle propter Deum pati: ergo nec ego teneor ipsum ea miseria liberare.

Tertiò, quia Apostolus 2. ad Corinth. 8. ex-citans eos ut Hierosolymitanis grauitè laborantibus mitterent eleemosynas, dicit se hoc non imperare; ergo ipsi ad hoc non tenebatur.

2. Cor. 8.

Secunda sententia docet, nos teneri, etiam in graui necessitate proximo succurrere ex superfluis statui, non tamen in communibus necessitatibus. Ita Palud. in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. Sil-uester.

120

Paluden.

Siluester.

uester

Armilla.
Sorus.
Durand.

ueter v. Eleemosyna. q. 1. Armilla ibid. n. 3. Sorus lib. 5. de Iustitia, q. 8. a. 1. & in eam inclinat Durandus supra.

Priorem partem huius sententiae probamus infra n. 125. Secundam verò partem probant Primò, quia vel tenemur omnibus eiusmodi necessitatibus succurrere, vel solum aliquibus. Prius dici nequit (quia cum hæc innumeræ sint, hoc fieri non potest) nec etiā secundum, quia non est ratio cur magis teneamur vni succurrere, quam alteri. Secundò, quia aliàs nemo posset aliqua superflua sibi retinere, cum vbique occurrant pauperes communi necessitate laborantes, atque ita maxima pars diuitum esset dānanda. Nec sufficit si dicas eos non obligari sub mortali: quia videtur etiam valdè durum dicere eos toties peccare venialiter, quoties occurrenti eiusmodi pauperi non dant eleemosynam. Tertiò, quia aliàs malè facerent qui superflua expenderent in ædificandis ecclesijs, aut monasterijs, alijsque publicis operibus, cum teneantur ea pauperibus erogare.

Tertia sententia docet, aliquem teneri ex duplici capite dare eleemosynam. Primò, ratione extremæ necessitatis proximi: quo casu tenetur ita indigenti in particulari dare eleemosynam. Secundò, præcisè quia habet superflua suo statui: & hoc casu quamdiu non occurrat extremè indigens, potest dare cui voluerit, nec tenetur dare alicui in particulari. Ita Caietanus in Summa v. Eleemosyna. & tom. 2. opuscul. tract. 5. c. 2. Nauarrus c. 24. n. 5. & alij. Hanc partem probant Primò, quia Christus Luca 11. ait Pharisæis, *Quod superest date eleemosynam*. Secundò, quia iure naturæ omnia sunt communia, & instituta ut quisque ex ijs sibi necessaria sumeret, & reliqua daret indigentibus: quare qui habet superflua, non debet ea æstimare tamquam sua, sed tamquam sibi commissā ut ea pauperibus det.

Sed quidquid sit de hac sententia, hæc rationes parum probant: nam Christus in eo loco non dat aliquod præceptum, sed solum consilium, ostendendo illis viam, qua possint à peccatis suis mundari: iuxta dicta supra dub. 3. n. 40. Secundum argumentum falsum sumit, scilicet omnia iure naturæ dicta ratione esse communia, quia secundum id nemo posset verum alicuius rei dominium acquirere, & ea quæ quis iam habet superflua, non essent verè ipsius propria. Quare illud dictum in eo sensu sumptum dubio 6. satis refutauit. Vnde etiam patet, verum non esse aliquem obligari dare eleemosynam præcisè quia habet superflua: quia hoc ex nullo capite probari potest; & inde sequerentur multa incommoda. Tota igitur ratio nos obligans ad eleemosynam est indigentia proximi, cui ex caritate tenemur subuenire: & nos habere superflua est solum conditio, sine qua non teneamur, quatenus efficit, ut sine notabili incommodo possimus proximo subuenire.

Verum etiam non est, quòd extra extremam necessitatem non teneamur vnquam dare eleemosynam alicui in particulari: ut infra ostendā.

Quarta sententia docet, nos etiā cum euerfione nostri status teneri succurrere proximo in

extrema necessitate constituto. Huius sententiae videtur Caietanus supra tract. 5. c. 2. §. *Finis-Caietan.* *datur autem.* Probatur Primò, quia caritas obligat me ut bonum meum minus perdam ad seruandum bonum proximi notabiliter maius: atqui bonum status est notabiliter minus bono vitæ: ergo teneor pro seruanda vitæ proximi perdere statum. Secundò, quia sicut se habet vita corporalis ad spiritualem; ita se habent bona externa, in quibus computatur status, respectu vitæ corporalis: atqui in extrema necessitate teneor perdere vitam corporalem ut saluem vitam spiritualem proximi: ergo similiter teneor perdere statum, ut seruem vitam proximi corporalem.

Ut autè tota hæc materia sufficienter intelligatur, imò ut difficultates propositæ possint clare resolui, necessarium est præterea explicare quandam aliam difficultatem, quam Doctores communiter non ita ex professo disputant: scilicet verum habens superflua teneatur pro seruanda vitæ proximi periclitante expendere etiam valdè magnam pecuniam, v.g. aliquot millia aureorum: quando sine diminutione sui status id posset facere. Eum enim teneri videtur probari Primò, argumentis allatis numero 123, pro quarta sententia. Secundò, quia Auctores communiter docent, nos teneri in extrema necessitate succurrere proximo ex superfluis: atqui talis tot millia sunt superflua: ergo tenetur hæc pro vitæ proximi seruanda expendere. Tertiò, quia caritas obligat me ut proximi valdè graue malum tollam, quoties id facere possum sine graui meo incommodo: atqui talis potest eos aureos pro vitæ proximi dare sine suo graui incommodo: ergo ad hoc tenetur. Confirmatur, quia talis diues quandoque minote suo incommodo poterit dare tot aureos, quam communis mechanicus vnum florenum: atqui hic tenetur hunc dare pro vitæ proximi liberanda: ergo ille etiam tenetur dare istos aureos.

CONCLUSIO I. Habens superflua tenetur sub peccato mortali dare eleemosynam non solum laboranti extrema necessitate, ut omnes fateantur, sed etiam laboranti graui necessitate, quando non est ei omnino probabile, & aliquo modo moraliter certum, sed efficiente alium ei succurrurum. Ita Richardus in 4. d. 15. a. 2. qu. 2. Richard. Couarr. lib. 3. Variarum resolut. c. 14. n. 5. Bellar. Couarr. minus lib. 3. de bonis operibus, c. 7. Angelus v. Bellar. *Eleemosyna*. n. 1. Azor puncto 2. l. 1. c. 7. Valentia *Azor.* 2. 2. disp. 3. q. 9. puncto 4. §. *Quæ sine controuersia*, Valentia Turrian. 2. 2. disp. 82. dub. 1. Valquez opuscul. de Turrian. *Eleemosyna*, dub. 3. n. 24. Lorca 2. 2. lect. 3. disp. Valquez 39. n. 22. Et est iam ferè communis.

Probatur Primò, ex Scripturis. Quia Christus Matth. 25. docet, aliquos in iudicio damnandos eo quòd non susceperint hospites, aut nudos non operuerint; qui sanè non videntur esse in extrema necessitate: nam ex nuditate, aut eo quòd debeat foris pernoctare non facile quis moritur. Item 1. Iohan. 3. dicitur, *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Ac si dicat, Fieri non potest ut caritas Dei in eo maneat: atqui

Nemo obligatur dare eleemosynam præcisè quia habet superflua.

Sola indigentia pauperis nos obligat ad eleemosynam.

123

qui clarum est laboratorem graui necessitate habere veram necessitatem (quia grauis necessitas est vera necessitas): ergo qui habet superflua, quae commodè ei dare possit, & hoc non facit, non manet in caritate; & consequenter peccat mortaliter. Alia adferam n. 127.

126

Bellarm.
Valentia.

Probatur Secundò, ex Patribus, qui passim grauis peccati & tamquam iniustos detentores rei alienae damnant diuites non dantes eleemosynas; quorum aliquos citauimus supra n. 84. & plures fusè citant Bellarminus & Valentia citati n. 125. atqui illi omnes non possunt intelligi loqui de his solis, qui negant eleemosynam ijs qui extrema necessitate laborant, quia hi non ita multi sunt; & si quis eorum verba diligentius expendat, faciliè videbit eos omnino aliud velle: ergo debent intelligi etiam de ijs qui non tribuunt graui necessitate laborantibus.

127

Probatur Tertiò, ex ratione. Primò, quia, ut constat ex dictis disp. 24. & omnes farentur, tenemur proximum ex vera caritate siue amicitia diligere: atqui grauius contra amicitiam peccaret, qui videns amicū graui necessitate laborantem, & esse in certo periculo incidendi in graue malum, v.g. in grauem ac molestem morbum, aut amissionem sui status, nollet ei succurrere, cum facili negotio & exiguo suo sumptu posset: ergo similiter non succurrere pereleemosynam proximo ea grauius indigenti, est contra caritatem ei debitam.

Deuter. 22.

Confirmatur, quia Deuter. 22. dicitur: Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis eum. Item Exodi 22. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei: ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me, (scilicet angustiatum ed quòd ei non reddideris pignus) exaudiam eum, quia misericors sum. Vbi aperte Scriptura docet, esse contra caritatem proximo debitam, etiam in necessitatibus non ita grauibz nolle succurrere.

Exodi 22.

128

Prob. ratione Secundò, quia etsi, ut ostendi dub. 6. non solum iure gentium, sed etiā iure naturae, multarū rerum verū dominium possimus acquirere, atque adeo eorum quae iuste possidemus maneamus veri domini, non obstante pauperū necessitate etiam extrema; tamen cum omnia externa bona nobis proveniant à Deo naturae auctore, qui ea primò & perse instituit in communem hominum sustentationem & necessarium vsum; nullo modo videtur alicui concessisse ius ea sibi appropriandi cum peruersione illius intentionis; quod contingeret, si mihi omnino superflua licitè ita appropriarem, ut alijs grauius ijs indigentibus nihil eorum teneret concedere, etiā cum id sine notabili meo incommodo facere possem. Hinc pulchrè D.

Deus bona
externa nobis
concessit
ad communem
nostrā sustentationem.

Ambros.

Ambrosius ferm. 81. sub finem alloquens diuitem auarum, qui Lucæ 12. dicebat, *Destruam horrea mea*, &c. ait, Numquid iniquus est Deus, ut nobis non aequaliter distribuat vitæ subsidia, ut tu quidem esses affluens & abundans; alijs verò deesset, & egerent? Deinde pergit ostendere, ea quae diues possidet superflua, esse bona indigentium, quia nimirum Deus ea ipsi dedit cum obligatione ea

Quo sensu
bona diuitū
dicantur indigentium.

cum indigentibus communicandi. Vnde subdit: *Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam cum possis & abundes, indigentibus denegare, &c.*

129

Ad primum argumentum contrarium possum n. 119. nego maiorem, eam accipiendo propriè secundum communem loquendi modum, quò ea sola solemus dicere esse præcisè nobis necessaria ut melius nobis sit, sine quibus nobis bene esse potest, qualis non est tua eleemosyna respectu patientis grauem necessitatem, quia huic sine ea non potest bene esse; quare ipsi omnino est necessaria ut ei bene sit, vel potius ne ei grauius male sit. Ad quod auctendum caritas nos obligat: ut iam ostendi.

Ad secundum, Respondeo Primò, antecedens non esse generaliter verum, quia is, qui ex indigentia est in periculo perdendi aliquod membrum, aut etiam incurrendi grauem morbum, tenetur hoc à se auertere si commodè potest, & peccaret qui eiusmodi pericula sponte accerleret, aut à se non auerteret, cum faciliè posset. Respondeo Secundò, negando consequentiam: quia quisque potest velle pati miseria propter Christum aut ad exercitium virtutis, & cedere suo iure quod habet ut legitima via eas euadat: nemo tamen alius potest eum ad hoc compellere, nisi id fiat via iuris propter commissam crimina. Adde, quando aliquis graui & toleratu difficilia sponte propter Christum & virtutem patitur, ipsum hac ex parte non esse propriè miserum, quia ijs malis in animo non affligitur: secus est, quando ea inuitus patitur.

Inuitus mala
patiens est
miser, non
tamen sponte
ea patiens.

Ad tertium, Respondeo id nihil facere contra nos. Primò, quia valde verosimile est Corinthios illos Christianos non habuisse absolute superflua aut abundasse, sed solum secundum quid, siue respectu Hierosolymitanorum, qui in valde graui erant penuria. Nam de illis Apostolus ait epistola 1. c. 1. v. 26. inter eos non fuisse multos potentes aut nobiles. Secundò, quia, etsi Corinthij habuissent superflua, cum domi haberent sufficientes pauperes in quos ea erogarent, non tenebantur ea aliò mittere, praesertim tam procul à se remotis.

1. Cor. 1.

CONCLUSIO II. Quod ad hunc casum attinet, dicenda sunt superflua statui, non solum ea quae statui nullo modo necessaria sunt, ita ut sine prodigalitate in eo sustinendo nequeant impendi, sed etiam ea quae non sunt ita necessaria, quin sine illo illius detrimento possint ei subtrahi. Cum enim, ut dixi n. 109. necessaria ad statum patiantur magnam latitudinem, non omnia ad eum spectantia sunt ei ita absolute necessaria, quin quibusdam sine suo detrimento possit carere, praesertim rebus non ita magnis. Ita Bañez 2. 2. q. 32. a. 6. du. 2. Turrian. disp. 82. dub. 4. Lorca disp. 39. n. 35.

130
Quae dicenda
superflua
statui.Bañez.
Turrian.
Lorca.

Probatur Primò, quia alias vix vllus teneretur vnquam dare eleemosynam grauius indigenti, quia paucissimi sunt, praesertim saeculares, qui habent ita superflua ut illis nullo modo pro suo statu indigeant. Secundò, quia tenemur à proximo amouere graue damnum, quando sine notabili nostro incommodo id facere possumus: atqui possumus de rebus eiusmodi sine notabili

bili nostro incommodo dare eleemosynas, quibus graue malum a proximo auertamus: ergo ad hoc tenemur.

131
Qua ratione
communi-
ter indigen-
tibus tene-
mur dare e-
leemosynā.

Valentia.
Bellarm.
Turrian.
Lorca.

CONCLUSIO III. Tenemur etiam ex huiusmodi bonis per eleemosynas subuenire communibus pauperum necessitatibus, non quidem ita ut singulis eas patientibus, aut etiam eleemosynam a nobis petentibus teneamur aliquid dare, (hoc enim esset nimis graue) sed ita ut pro opum magnitudine aliquando aliquas eleemosynas faciamus, prout prudens caritas dictabit faciendas. Ita Valentia, Bellarminus, Turrian. Lorca citati n. 124. & multi alij.

Probatur Primò, quia hoc etiam suadent auctoritates Scripturæ & Patrum allatæ pro prima conclusiōe. Nam Patres ob hanc obligationem passim dicunt superflua diuitum esse bona pauperum ac indigentium: ipsæque esse data ut his dispenfent. Patientes autē communes eiusmodi necessitates sunt, verè pauperes, ac indigentes; & cum toties tam Scripturæ quam Patres damnent diuites qui sibi superflua non dant pauperibus, nulli tamē inuuant se loqui solum de ijs qui negant eleemosynas extremè aut grauius indigentibus; in dō Scripturæ allatæ n. 127. ex Deuteronomio & ex Exodo apertè insinuant indigentibus in communibus necessitatibus esse necessariū succurrendum, ne amicitia ledatur. Nam cuius alius iacet sub onere, aut qui ob defectum indumenti non potest noctu sufficienter tegi, non est in ita graui necessitate, sed in ea in qua communiter eiusmodi pauperes sunt; & tamen Scriptura præcipit ut ijs succurramus cum facillè possumus.

132
Probatur Secundò, quia si omnes habentes superflua numquam darent eleemosynas ijs qui solum communem patiuntur necessitatē, multi ex his breui incident in grauem, aut etiam extremam necessitatē: quod esset graue malum tam ipsorum pauperum, quam etiam reipublicæ, quæ postea illorum miserijs subleuandis multum grataretur.

Ex quo patet, et si non sit graue habentem superflua præterire aliquos pauperes, quibus facillè posset dare eleemosynam; eum tamen si statuat numquam eam dare communibus pauperibus, aut de facto numquam det, grauius communitati nocere, subtrahendo ei debita subsidia, & suo exemplo alios ad idem excitando. Vnde etiam tales communiter suis ciuibus sunt exosi, & passim auari, inhumani ac crudeles audiunt. Et sanè secundum commune iudicium, propositum numquam aliquid pauperibus elargiendi, nisi in graui aut extrema necessitate, in homine opibus abundante est omnino inhumanum: & idem est censendum de executione talis propositi, aut etiam de perpetua omissione eleemosynæ, quantumvis sine expreso eiusmodi proposito fiat: quare hoc ita proponere aut consultò facere videtur esse peccatum mortale.

133
Ex his facile est respondere argumentis allatis n. 119. Ad primum, Respondeo nos nec teneri omnibus communi necessitate laborantibus, nec etiam vlli determinato dare eleemosynam, sed aliquibus indeterminatè prout in-

dicauerimus expedire. Sicut qui peccauit mortaliter, & habet multos quibus confiteri potest, non tenetur illis omnibus confiteri, nec vni magis quam alteri; tenetur tamen aliquem ex ijs eligere cui confiteatur. Et in hoc differt hæc obligatio dandi eleemosynam ab ea, quæ oritur ex graui aut extrema proximi necessitate; tunc enim cuius ea laboranti tenemur succurrere si possumus.

Ad secundum, nego assumptum; quia tales, vt iam dixi, non tenentur omnibus dare eleemosynam; quamquam si habeant aliqua sibi omnino superflua, quæ nullo honesto vsui destinant, clarum est eos peccare nimio pecuniarum amore, si omnino statuant ea sibi seruari, nec velint pauperibus elargiri sed hoc vix contingit, nisi in valde auaris; alij enim aut vix habent eiusmodi pecunias, aut itatim eas alicui honesto vsui destinant, saltem aliquantò post futuro.

Ad tertium, nego assumptum; nam hoc ipso quo tales suas pecunias eiusmodi vsui destinant, non sunt ijs superflua, sed vtili vsui necessaria.

CONCLUSIO IV. Et si extremè aut etiam valde grauius indigenti teneamur succurrere ex bonis ad conseruationem status hac ratione necessarijs, quatenus sine ijs non possumus eum ita commodè sustinere, ut patet ex dictis; tamē numquam personæ priuatæ etiam extremè indigenti tenemur succurrere ex bonis ita ad conseruationem status necessarijs, vt hic sine ijs nullo modo conseruari possit. Ita Auctores citati conclusiōe 2. & est apertè D. Thomæ 2. 2. q. 32. a. 6. saltem quoad secundam partem. apertè enim docet, nos non teneri vnquam dare eleemosynam ex ijs sine quibus non possumus viuere decenter secundum nostrum statum. Priori autem parti videtur ibi contradicere; sed posset intelligi loqui de communibus necessitatibus; opus enim ibi est aliqua benigna interpretatione.

Probatur Primò, quia caritas non obligat me, ut cum tanto meo incommodo efficiendo me miserum, alienam vitam seruem; hoc enim esset valde durum, vt magis in fratre patebit; caritatis autem præcepta sunt suauia.

Secundò, quia non obligor magis seruare vitam proximi quam meam: atqui nemo tenetur suam vitam seruare cum euersione sui status: ergo nec tenetur ita seruare vitam alterius. Maior patet, quia in ijs bonis quæ teneor mihi conseruare, qualis est vita, numquam minus obligor amare meipsum quam proximum. Minor probatur, quia aliàs sequeretur, nobilem ab inimicis captum teneri omnes suas opes dare pro lytro, & se ac suos ad mendicantem redigere potius, quam permittere se ab ijs occidi. Item sequeretur, periculosè agrotantem teneri similiter omnia sua in medicos expertissimos vnde quaque accersendo, & pretiosissimas medicinas comparando expendere, si hac ratione esset certa spes salutis recuperandæ, & aliàs immineret certum mortis periculum. quæ sunt aperte falsa, & contra commune sensum: omnes enim communiter hoc facientes tamquam nimium vitæ amantes vituperarent.

Ratio

Quādo gra-
uiter peccet
non dans e-
leemosynam
cōmunibus
pauperibus.

Non tenetur
meam aut
alienam vitam
seruare cum
euersione sui
status.

Qua ratione
vita cum bo-
nis fortunæ
possit con-
iungi.

136 Ratio autem horum est, quia, etsi vita secundum se & absolute sumpta ac physice loquendo sit bonum incomparabiliter maius omnibus bonis fortunæ, atque adeo ipso statu, si hæc secundum se sumas; secus tamen est, si hæc moraliter & secundum communem hominum sensum inter se comparentur, & ex vna parte cogitetur vita ut coniuncta cum magna miseria, qualis est eius, qui honesto statu & omnibus fortunis excidit; & ex altera status ac diuitiæ considerentur quatenus reddunt vitam ipsam commodam ac iucundam, atque ita sunt quodammodo quædam pars ipsius vite, quatenus vitam efficiunt bonam siue expetibilem, quæ aliàs esset misera & quasi longa mors. unde multis grauius est amissio statu viuere, quam eo integro mori.

137 Secundò, quia vita necessariò est brevis & post aliquot annos finienda, quare eiusmodi profusione non conseruatur absolute, sed solum pro aliquo tempore prolongatur, status autem & diuitiæ quatenus sunt instrumenta virtutis & nominis comparandi, item quatenus in posteros siue heredes propagantur; sunt quodammodo æterna, & vitam hominis in posteris ac in fama etiam post mortem suo modo perpetuant. quod multi ipsa vita pluris faciunt.

Tertiò, quia in Christianis, qui benè moriuntur, mors non tam est vitæ priuatio, quam in meliorem commutatio: nam per illam ad meliorem vitam transimus.

138 Probatur conclusio Quartò, quia contrarium esset sæpè damnosum reipublicæ, quæ euerfione status honesti cuius longè plus læditur, quam morte alicuius pauperis. Imò illa ratione reipublica facillè tota euerteretur, si diuites tenerentur vel omnes vel magnam partem suarum fortunarum pro conseruanda vita cuiusuis pauperis expendere; quia sæpè contingit, præsertim serpente aliqua contagione, multos pauperes mori, qui valdè probabiliter curarentur si magnis sumptibus ad eos curandos expertissimi medici vocarentur, & reliqua omnis curatio adhiberetur, qualis valdè opulenti solent adhiberi; & secundum contrariam sententiam diuites eo casu similia ijs exhibere tenerentur etiam cum euerfione sui status; atque ita omnes reipublicæ opes breui exhaustirentur. Idem contingeret tempore belli aut grauantibus latronibus, qui facillè caperent pauperes, eisque minarentur mortem nisi diuites ingens lytrum pro ijs soluerent, atque etiam quosdam ex illis occiderent, ut hos efficacius ad soluendum pro cæteris lytrum compellerent; atque ita exiguò tempore omnes opulentos suis opibus spoliarent, totamque rempublicam euerterent. Quæ etiam notanda sunt pro concl. sexta, vbi hæc conclusio magis confirmabitur.

139 Ex his facile est soluere argumenta allatum. 123. Ad primum, nego maiorem esse vniuersaliter veram: nam fallit quando bono meo minore non possum sine valdè graui incommodo carere; & non agitur de amittenda vita æterna proximi. Minor etiam non est

Coninck de act. supernat.

generatim vera, ut patet ex iam dictis.

Ad secundum, nego maiorem: quia vita æterna est absolute & semper bona, adeoque bonum summum & æternum; & contrà eius amissio est semper & absolute mala, atque adeo extremum malum: quare nec illi vllum bonum temporale, nec huic vllum malum temporale vlla ex parte, vllaue ratione comparari potest. Secus est de vita corporali, quæ nec semper nec omniratione est expetenda; nec mors omnimodo fugienda, nec inter illam & bona fortunæ tanta est distinctio, ut nulla ratione possint comparari inter se: ut patet ex dictis n. 136.

CONCLUSIO V. Est tamen valdè laudabile etiam statui decenter conseruando omnino necessaria pauperibus erogare, quoties id sine aliorum præiudicio fieri potest. Hæc est sententia D. Thomæ 2.2. quæst. 32. a. 6. & communis. Estque clara ex ipso Euangelio, vbi Christus suadet ad se venientibus, ut vendant omnia quæ possident, & consequenter etiam statui conseruando necessaria, & dent pauperibus. Quod consilium plurimi Sancti secuti ita sua sunt pauperibus elargiti, ut ex ditissimis facti sint ita pauperes, ut debuerint labore manuum, aut aliorum eleemosynis vitam sustentare: eaque ratione summam laudem à Deo ac hominibus consecuti sunt.

Dixi, quoties id sine aliorum præiudicio fieri potest. Quia paterfamilias malè faceret si sine uxoris ac prolium consensu ita omnia sua elargiretur, ut non relinqueret his necessaria ad se secundum suum statum sustentandum. Cum enim hi, ut patet ex concl. 4. non teneantur in gratiam pauperum facere iacturam sui status, malè facit paterfamilias si indiseretis eleemosynis eos ad hoc cogat. Item Pastor, concionator, publicus doctor, non potest ita sua elargiri pauperibus, ut non retineat libros sibi omnino necessarios, sine quibus non possit docere aut concionari, aliæue officia obire; siue ita ut tempus quod debet impendere studiis, aut officio pastoralis, debeat necessariò impendere operi manuum quo victum quærat, nisi simul possit & velit ea officia deserere: aliàs enim suis subditis aut auditoribus præiudicat, retinendo officium quod conuenienter nequit exercere.

Et sic intellige D. Thomam suprà dicentem esse inordinatum, aliquem tantum dare pauperibus, ut non retineat sufficienter ut possit secundum suum statum decenter viuere: hoc enim est intelligendum quando hoc fieret cum aliorum præiudicio. Nam aliàs honesto locum, aut etiam nobilem, ita sua largiri pauperibus, ut cogatur pauperum more viuere & vestiri, etiam si secularis maneat, & consequenter propriè statum non omnino mutet, quando id fit sine vllò alterius præiudicio, nihil continet inordinatum aut reprehensibile; sed opus maximæ caritatis, quodque in S. Martino summo opere laudatur; qui cum aliud non haberet quod dare posset pauperi, mediam partem suæ chlamydis ei dedit, cum tamen reliqua parte non posset prout status eius exigebat decenter

Aaa

vestiri.

vestiri, quæ bene etiam notauit Lorca 2.2. sect. 3. disp. 39. n. 42. & 43.

143

CONCLUSIO VI. Valdè opulentus non tenetur succurrere privato indigenti, expendendo pro eo aliquot aureorum millia, etsi hoc necessarium sit ut hic ex certo vitæ periculo eripi possit, & quamuis ille id possit sine alio villo graui incommodo facere: v.g. captus sit aliquis pauper ab hostibus, & hi exigant ingens pro eo lytrum, v.g. ter mille aureos, nidentur, certò eum occiduri; & sit aliquis diues, qui tantum & amplius habet, quo sine detrimento sui status possit carere, dico eum non teneri illos dare, ne pauper occidatur.

Probat, quia si diuites ad eiusmodi lytrum tenerentur, id esset nociuum reipublicæ, quia hostes faciliè aliquos eius pauperes caperent, & minando ijs aliàs mortem cogerent opulentos ingentia pro ijs lytra soluere, & sic opes reipublicæ magna ex parte exhaurirentur, dum illi cogerent diuites sibi dare ea omnia, quæ statui suo sustinendo non essent absolute necessaria. Quod sine dubio reipublicæ esset valdè damnosum, cui valdè expedit habere in se viros opulentos: nam hac ratione ipsius vires crescunt, & alia ratione diminuuntur.

Et hac ratione puto motos quosdam Auctores, ut dicerent nos teneri per eleemosynam succurrere extrema necessitate laboranti, si hæc ei proueniat ab intrinseco, v.g. à fame, siti, morbo, &c. non tamen si ab extrinseco proueniat, v.g. à malitia latronis lytrum ab eo exigentis. cuius rationem etiam reddit Bañez 2.2. quaest. 32. art. 6. dubio 2. §. *Secundò est notandum.* Quia necessitati ab intrinseco prouenienti paucis subueniri potest, proueniens verò ab extrinseco mensuram non habet: ubi implicite nostram conclusionem insinuat, scilicet nos non teneri nisi moderata quadam pro proximi vita seruanda expendere.

Bañez.

144

Ista tamen differentia non est generatim vera. Patet Primò, quia contingere potest ut lytrum quod exigitur exiguum sit, & tunc ab ijs qui faciliè possunt soluendum est, præsertim quando inde non imminet periculum ne hostes ea occasione plures & sæpius alios atque alios pauperes capiant, & hoc modo ciues suis opibus spoliarent. Hinc Imp. Mauritius quòd ab Auarum rege exiguo valdè lytro, scilicet quatuor siliquis, quibus hic singulos redimendos offerebat, captiuos noluit redimere, grauitèr à Deo punitus est, ut refert Baronius anno Christi 560. & 562.

Baron.

Secundò, quia, etsi communiter necessitati ab intrinseco venienti possit paruis impensis succurri, non tamen semper; quia fieri potest ut aliquis laboret morbo periculoso, cui sanando necessarij sunt valdè periti medici aliunde magnis expensis aduocandi, & pretiosæ valdè medicinæ; & consequenter opus erit maximis sumptibus.

145

Ex his probatur conclusio Secundò, quia aliàs opulenti qui habent superflua, in dicto casu tenerentur eiusmodi sumptus pauperi aliàs certò morituro impendere si valdè probabile esset eum ijs impensis posse sanari: hoc autem

est contra communem omnium sensum; nemo enim putat se ad talia obligari, nec vllus siue Pastor, siue Doctor, siue concionator quantumuis opulentos reprehendit, quòd pauperibus eiusmodi non procurent: sed omnes putant eos satisfacere si eam curam ijs impendant, quæ communiter pauperibus ægrotis solet impendi, procurando ut habeant sufficientia ad victum & communes medicinas, & ut aliquis, quibus reperiri potest, medicus eorum curam agat: nec vllibi in more est, ut pro ijs aliunde præstantes aut medici aut medicinæ accersantur. Ratio autem horum est, quia caritas solum à nobis exigit ut proximo succurramus ex ijs, quæ natura aliquo modo voluit esse communia: inter quæ computanda est etiam communis hominum industria, quam Deus ut auctor nature etiam in hunc finem eis largitus est; eiusmodi autem ratione & exquisita, quæque remotis ex locis tanto labore ac expensis accersenda sunt, non sunt ijs locis communia; ut notaui supra n. 85. unde etiam eiusmodi magnos sumptus facere, magis spectat ad magnificentiam, quam ad misericordiam. Confirmatur, quia opulentus tantam summam in vnius leuamen effundendo priuat se potestate faciendi alia maiora in utilitatem reip. v.g. succurrendi plurimis alijs pauperibus non ita grauem necessitatem patientibus; quorum multorum miseriam posset ijs impensis notabiliter iuuare. quod videtur omnino esse opus melius & reipublicæ lōgè vtilius, quam sic curare vnicum ægrum; quare diuitem obligare ut eas opes in vnum profundat, videtur nociuum reip. & contra æquitatem, quia nemo videtur obligandus ut propter bonum minus priuat se potestate faciendi maius bonum.

Ex quibus
qui modo
ratione
neque
xmo
fuo
curate.Ingenio
pauca
gratiam
speciale

Ad primum argumentum allatum nu. 124. respondi supra n. 139.

146

Ad secundum, Respondeo Auctores illos solum loqui de succursu, qui communi modo & per media vsitata fieri potest; nemo autem dicit me eiusmodi medijs extraordinarijs teneri proximo succurrere, præsertim priuando me potestate faciendi maiora bona; imò, ut iam ostendi, communis sensus est contrarius.

Ex quo etiam patet responsio ad tertium: maior enim est intelligenda in casu, quo secundum communem modum agendi possum mala à proximo auertere. Ad confirm. nego consequentiam, quia, ut iam ostendi, hac in re non solum spectanda est incommoditas, quam sub eo iuuando proximum, sed etiam modus quo est iuuandus: nam, ut iam ostendi, non teneor eum quouis modo iuuare. His adde, etsi valdè opulentus non sit fortè hic & nunc valdè incommodum ac difficile huic indigenti tantis impensis succurrere; tamen generatim omnes qui ita possunt succurrere existenti in periculo vitæ, ad hoc obligare, fore valdè graue & incommodum reipublicæ, ut iam ostendi; & consequenter talis obligatio inducenda non est.